



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XII. De Rege, quo ad bellum gerendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Caput XII. De Rege quoad bellum gerend. 503

tem, & malitiam sumit. Ob id à mortali excusatur, qui de sanitate alicuius tristatur, quia ex recta valitudine occasione sumit peccandi. Et potè pauca. Idem dicendum videtur de matre, qua mortem filii exoptet, quia occasione ipsarum malisecum agitur à marito aut iniuriis afflicti; non enim pr. priè detestatur filias ex displicentia ipsarum, sed in detestationem proprii mali. Hec Bonacin. ex quibus vides opinionem Castropal. esse satis probabilem.

9. Hec Tamb. quæ si tibi fortasse non arideat, ne uni Tamburino succenseas, sed Castropalao, sed Bonacinæ, sed aliis, quorum doctrinam ille refert, & Emanueli Sà expurgato à tuo R. M. Sacri Palatii V. Charitas n. 8. qui, si eius ratio penetraret, multum favet dictis à Castropalao.

Nota nihilominus quam cauta si horum locutio, credo si cum debita moderatione facias, & illud (non est desiderium de malo, sed de bono venturo) & illud (est actus necessarius, qui specificatur à bono.)

CAPVT XII.

De Rege quoad bellum gerendum.

1. BARON. XI. Nec minus liberalis est in Reges, quam in privatos. Dat illis (Regibus) ius belli, si aliqua illis faveat probabilitas ex iure in eum, qui parem, aut maiorem habet probabilitatem rei posse adiacentiam.

2. Hic Baronius videtur modum ponere in scirpo. Tamburinus discretissime docet in prædicto casu non posse unum Regem intentare bellum adversus alium; addit tamen esse aliquos nobiles DD. aientes, posse, & id ita esse probabile ex extrinseca autoritatæ illorum, ut id non sit recipiendum, quasi sit universalis doctrina, sed in aliquibus casibus; Baronius autem, dicit illam esse sententiam Tamburini, & quia ille ait aliorum doctrinam esse in aliquibus casibus probabilem, ipse durum nodum vel addit, vel supponit, quasi data esset, ut doctrina universalis.

Proferatur textus Tamburini.

3. TAMB. Num. 29. Rex, seu Respublica (ait l. 1. in Dec. c. 4. §. 4. n. 29) ad gerendum bellum, vel habet probabilitatem fundatam in iure, vel in facto. In iure est, quando est opinio Doctorum, Regnum in aliquo casu certo, posse occupari. Facit v. g. Regem alicuius Regni esse spurium, certe si addeffet opinio Doctorum probabilis, eiusmodi, Regem licitè posse à suo Regno repellisse, hac probabilitatis immixta in iure. Probabilitas fundata in facto est, quando duo, pluresve scripturis, vel testibus contendunt probare regnum ad se pertinere.

4. Num. 30. Dico, in probabilitate orta ex iure, quemlibet Regem licitè bellum gerere contra alium posse. Sic Ioan. Sanch. d. 44. à n. 57. Ratio est, quia, ut est toties dictum, potest quis sequi opinionem probabilem omnia probabiliora. Quid si alter possidentur est in casu proposito num. præc. Resp. tunc ex mea sententia non posse; quia ut supra § 3. num. 14 dixi, & mox num. seq. repetam, possessionem favere possidenti, est lex Canonica ab omnibus observanda. At tunc recurri valeat ad indices mox tangam num. 33.

5. Num. 31 Dixi (ex mea sententia) nam ex bonorum auctorum opinione posse, video; qui nihil obstante prædicta unius Regis possessione, putant in dicto casu ab alio Rege bello impeti Regem possidentem posse. Lege item Castrop. tom. 1. d. 2. p. 7. n. 1. Ioan. Sanch. d. 44. n. 58.

6. Num. 32. Quid si sit opinio practice probabilis fundata probabiliter in iure, quod dictus Rex posse Regnum ab alio possit occupare? Resp. tunc sane, etiam in mea sententia, posse: nec mirum, quia iam supponis eam opinionem esse practice probabilem. At ego adverte hanc opinionem nem nunquam fore practice probabilem ex princi-

piis intrinsecis (nam esto ex autoritate extrinseca n. 31. dicta) posse Regnum ab alio Rege possit occupari, si eiusmodi Rex cum probabilitate iuris sit in eius non controversa possessione, quia nemo, ut toties canavimus, per hominem privatum (qualis profecto est Rex, vel Respublica quacunque respectu alterius, qui sit sua absolute potestatis) nemo, inquam, spoliari potest à sua possessione, nisi certo moraliter constet, possidentem inique possidere.

7. Num. 33. In probabilitate ex probationibus facti negant absolute plerique, posse tunc Regem bellum gerere, sed debere recurri ad Indices, modo latè tractato à Castrop. l. c. n. 5.

8. Sed sic est distinguendum. Potest primò Regnum, de quo disceptatur, esse in possessione unius ex Regibus, & tunc ob probabilitatem ortam ex facti probatione, non potest contra ipsum intentari bellum ab alio Rege, etiam probabiliores habente rationes facti. Ioan. Sanch. d. 64. num. 56 Ioan. Delugo tom. 1. de Iust. d. 16. §. 5. num. 98. quia obstat lex Canonica pluries repetita, cui omnes fideles subsumunt, quamque nos supra §. 3. n. 14. attulimus, & inculcavimus.

9. Certè in hoc casu possessionis, quando probatio facti ex probabilioribus rationibus uni faveat Regi, & in casu, quem num. 30. huc remisimus, non est improbabile possit recurri ad Indices eo modo, quo laudatus Castropalaus l. c. presequitur; illum si placet, adiungam enim nobis est otium, ea, quæ raro contingant, universa percurrere.

10. Num. 34. Potest secundo dictum Regnum vacare, hoc est in nullius Regis esse possessione, & tunc etiam nullus ex Regibus poterit in eiusmodi probabili facti probatione bellum gerere, ut Regnum occupet. Ita Vasquez & Tanner. quos sequitur citatus Merolla tom. 1. d. 3. cap. 4. dub. 3. num. 204. Ratio est, quia obstat ius Regni vacantis, dum enim non est certum ius pro aliquo ex Regibus, ipsum Regibus liberum manet. Sic Salas, p. 2. tit. 8. d. un. lect. 13. num. 128. apud Castrop. cit. n. 10. prævalet enim Regni libertas, si non constat de servitute. Quare tunc Regnum vel se gubernet, vel se alterutri ex Regibus gubernandum sponte tradat, vel certe recuratur ad Indices eo modo, quem idem Castropalaus ibidem affert.

11. Num. 35. Postremo si certus sit Rex Regnum ab alio Rege possit esse suum, illum admoveat, ut Regnum consignet Domino: si veniat, bellum gerere contra ipsum poterit. Ita Vasq. Molin. Salas apud Castrop. cit. n. 13. quamvis enim Rex, qui occupat Regnum, non cognoscat veritatem, adeo ut iniuriam materialiter faciat, quam propulsare licet illi, qui de sua re certus est.

12. Limitationes autem necessarias antea attulerat Tamburinus, in quas Baronij oculos non incidit mirum non est (quare sinceps illum nunc excuso) siquidem illæ alio in loco sunt ab eo, in quo agitur de Rege. Sunt enim, ubi est universalis disputatio de probationibus aequalibus circa ius, vel circa factam, & sunt huiusmodi.

13. TAMB. Num. 14. Verum, quando rem (ait l. 1. cap. 3. §. 3. num. 14.) de qua sunt aequales rationes quoad probationes iuris, altera ex partibus possidet; an possit parti non possidenti ea attribui, maior est controversia; putato tamen privatos (nam quid in hoc casu facturus sit Iudex, dicam mox §. 4. à n. 1.) non posse sibi à parte, quæ possidet palam, vel occultè, causam auferre. Ita Thom. Sanch. l. 6. in Decal. c. 3. n. 7. & l. 4. in Decal. c. 40. n. 8. Castrop. tom. 1. tit. d. 3. p. 2. n. 11.

Ratio est, quia licet quis habeat opinionem probabilem, imò probabiliorē, quo ad ius, aliquam rem esse suam, nisi habeat certitudinem saltem moralem, rem verè esse suam, non est probabile, posse facere spoliū auctoritate propria contra possidentem. Vtior autem ratio est, quia etiam hic maxime militat illud, in pari causa melior est conditio possidentis. Par autem moraliter semper est causa utriusque litigantis, donec utriusque causa in iure probabilis perseveret, & alterutra non transit in certam.

14. Num. 15. Non ignoro aliquos apud Ioan. Sanchez d. 43. à Num. 49. docere, habentem rationes probabiles, quo

quo ad ius, posse licite alterum simile probabiles rationes habentem occulte appositione spoliare, sibi que rem vindicare, modo res non sit deducta ad forum contentiosum; tunc enim ratio dicitur, ut expectetur Iudicis sententia: Et modo esset scandalum & turbatio. Non, inquam, id ignoro, nam propterea propter auctoritatem Doctorum extrinsecam hac sententia non est censenda, saltem quoad aliquos casus, improbabilis.

15. Et certe quamvis Ioannes Delugo de iust. tom. 1. d. 16. num. 106. non audeat universiter hanc sententiam approbare, tamen in particularibus quibusdam eventibus, quos Doctores asserunt, (asseram ego mox num. 25. exemplo 19. & 20. & §. 4. num. 31. nonnullos) non inuitus approbat, quia, inquit, fortasse in particularibus casibus Doctores id propter aliquod caput concedere valuerunt; cum tamen non viderint caput aliquod generale, unde in omnibus casibus idem concedere, potuerint.

16. Audisti, Lector, illud (modo non sit deducta ad forum contentiosum) & illud (modo cesset scandalum, & turbatio) quæ certe turbatio solet magna sequi, quando proceditur ad bellum, & illud restrictivum (saltem ad aliquos casus) & illud (Doctores non audent hanc sententiam universiter approbare) & illud, (non valuerunt caput; unde in omnibus casibus idem concedere, potuerint.)

17. Quod si Ioan. Sanch. alique nempe Suar. Thom. Sanch. Navar. Reginald. Malder. Victoria Covar. Filluc. quos pro se Ioan. Sanch. disput. 44. a num. præsertim 58. aliquid plus concedant, quam concedat germana Tamburini doctrina, fides apud illos sit, cum Tamburinus non approbet sententiam Ioan. Sanch. absolutè. Et, quando addit supra num. 5. & 6. num. autem suo 31. & ex bonorum Doctorum auctoritate inferri bellum posse, video) ostendit se id videre, non tamen absolutè approbare. Et, quando num. meo 14. suo autem num. 15. dicit, eam sententiam non esse censendam improbabilem, addit limitationem (saltem quo ad aliquos casus, non ergo universaliter).

CAPVT XIII.

De subditis quoad Gabellas.

1. BARON. XII. **H**abet etiam rationem subditi, eximit illum à Vectigali, cuius non habeat competentem equitatem.

2. Hæc audes comminisci, & ne legisti quidem textum Authoris? Faciam ego ut hic legas, & sanè absque magna ingenii contentione intelligas. Doctrina Tamburini hæc ipsissima est.

3. TAMBU. Subditi (ait lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. vers. Gabella) qui omnibus expensis dubitat, an Gabella sit iuste imposita, teneantur illam solvere? reperi docent alii, ut Lessi. & Malder. apud Caramuelem mox citandum, quia possessio iustitia præsumenda est pro Principe. Non teneantur Villal. Castrus, Aragon Molin. Filluc. Sylvest. alii que apud Caramuelem mox citandum, quia possessio stat pro libertate subditorum, qui non sunt obligandi solvere, nisi certi sint de iustitia. Caramuel lib. 3. Theol. moral. num. 1466. asserit tributa sive nova, sive prisca non poni levior, sed magna consideratione, ergo dubia nequaquam erit tributi iustitia, sed certa, vel probabilis. Si certa omnino debetur, si probabilis non debetur, quia probabilis nequam involuntarium cogunt, nisi in ea Rep. esset lex acceptata, ut subditi teneantur ad obedientiam, etiam in materia probabili. Omnes hæ tres sententia sunt probabiles, quia bonis fundamentis imitantur, & Ianuarius quidem p. 1. resp. 51. citans Lessium, alioque contra Suarez docet, non tenevi quempiam ad Gabellas non solum quando dubiè, sed nec quando, opinabiliter solum, sunt iuste, cuius doctrina fides sit apud ejus Auctores.

4. Duas igitur hic fecerit Author quæstiones: altera est, an quando, omnibus expensis, debetur, vel Vectigal. Ite Gabella sit iuste imposita, licet enim non solvere. Et licet, dicit, esse probabile cum Villob. Castro, Aragonio, Molin. Filluc. & tui Ordinis Sylvestro, & cum priore parte dicti Caramuelem, quia tunc daturum subditi, certa. Altera est, an quando Gabella est iusta, licet possit ab ejus solutione se subtrahere subditus, & dicit, Ianuarius citantem Lessium, alioque docere, utique licet posse. Sed noster Tamburinus expressis verbis vel non assentitur, vel decenter resistit. Nam sic addit. Cuius doctrina fides sit apud ejus Doctores.

5. Quia igitur ratione absolutè asseris, Tamburinum eximere subditos à solutione Vectigalis, cuius non habent competentem equitatem cum ipse, vel non requirit ad obligationem solvendi, ut competentem, hoc est, eam habentem equitatem subditi, vel si habeant opinabilem, id est probabilem, remittat ad eorum Doctorum fidem.

6. Et consequenter quando illas tres sententias esse probabiles, censet Tamburinus, cum quæstio propolita solum fuerit de casu in quo res est anceps, seu dubia, solum pro eo casu dubitantes tres illas sententias ipse approbat. Nam, quoad posteriorem partem dictam à Caramuele, quando scilicet iustitia vectigalis est probabilis, jam id erat Tamburinus relictorum apud aliorum fidem. Video clarius potuisse, & distinctius loqui præceptorem meum, addendo sic, cuius doctrina fides sit apud ejus Doctores, & apud Caramuelem quo ad posteriorem partem sui dicti. Sed excusandi sunt scriptores, nam multa legem omittunt, quæ accuratus Lector ex contextu, & ex præcedentibus, & subsequentibus ex se ipse intelligat.

CAPVT XIV.

De Iudicibus.

1. BARON. XIII. **N**on sunt expertes ejus liberalitatis, & beneficiorum Iudices. Quæ omnia profert ex inexhausto probabilium thesauris, & promittit.

XIV. Inde asserit illis jus rerum omnium, quarum sit apud ipso, movetur, ut visum fuerit abdicantibus, & adjudicationis, quam vendere quid velit, cum sit gratuita, & arbitraria.

2. Et rursus audes dicere omnium? omnium legisti in Tamburino, nec norasti, quam cautè ipse ratiocinatur? Et, ut fiat dignum patella operculum, addere aude de tuo, consecrationem illam, Quam vendere qui vult, cum sit gratuita, & arbitraria? Tamburinus hanc consecrationem profus inde suo in Decalogo negat, quia antecedens, unde colligi poterat, improbabile omnino putat. Sed hunc locum Baronius, vel non legit, vel dissimulavit; legam ego, & benevolis Lectoribus legendum mox tradam, ut pote qui fideliter loca Authorum refert, profitear.

3. Sed prius illud agamus, quod prius propoluitur est, nempe illud (omnium) postea de consecratione superaddita.

TAMBU. Si omnibus expensis, (ait lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. vers. Iudex) lis civilis sit dubia, necesse est litigantibus presidente (nam, alterutro presidente, lis non erit dubia, sed probabilis pro ipso possessor, sive iuxta §. 4. a tam. vidimus, quem locum omnino recole) si lis, inquam, civilis sit dubia, Iudex non potest, nisi rem dividere, sedque propriam officium Iudicis, ut ibidem late dictum est. In lris, seu causis criminalibus reus erit liberandus, ut ex ibid. n. 10. dictum est. ligi potest.

4. Hoc nempe est rerum omnium, quarum sit apud Iudicem